

Johann Festing

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius ad Exequias, Quas ... Wendulae Kleinschmidts Viri ... Dn. Tobiae Rombergii Secretarii ... Civitatis Rostochiensis ... relictæ viduæ Liberi moestissimi Hodie hora prima paratas esse cupiunt ... Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat : [PP. Calend. April. An. MDCXC. Sub Sigillo Rectoratus]


Rostochi[i]: Weplingius, [1690]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771555083>

Druck Freier  Zugang



Festing, J.,
in W. Kleinschmidt,
uxor. T. Romberg.
R. 1690.



PROGRAMMA
^{quo}
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOHANNES FE-
STINGIUS

ad Exequias,

Quas

Matronæ omni virtutum splendore condecoratissimæ

WENDULÆ *Stein-*
schmidts

Viri Spectatissimi literatissimi & Integerrimi

DN. TOBIÆ ROM-
BERGII

Secretarii, cum viveret, Ærarii *Lyth-*
Civitatis Rostochiensis fidelissimi
relictæ viduæ

Liberi moestissimi

Hodie horâ primâ paratas esse cupiunt,
frequenter eundas

*Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos
eâ qua par est humanitate invitât.*

Rostochl, Typis JOHANN. WEPPLINGII, Acad. Typogr.





Ta comparata est natura hominum, ut tristis videatur mortis cogitatio; & vix sine ullo unquam dolore aliquis tum vinculi corporis & animæ dissolutionem tum suorum lacrymas patitur & valedicit. Hæc verò in re licet indulgendum iis sit, qui naturam modò humanam considerant ejusq; affectus sequuntur & inde facta defendunt sua: tamen inter

Christianos cum carnis nos amor fallit, facillè amor Dei mentem revocaturus est si bene perpenderit; & in ejus posse requiescere tabernaculis qui non sinit ullo nos dolore tangi, læta meditationis argumentum est. Huc præire sine gemitu Christianos decet, quò ut posteri sequantur votis meritò precantur religiosissimis. Equidem hanc mortem h. e. corporis corruptionem meruerunt peccata nostra quæ in corpore cum animæ consensu tantopere consummata sunt. O infelicia corpora quæ ex Adamo sunt, nisi Christus qui cœlestis est, cœli gratiam redemisset, ut aliquando fiant cœlestia. Separationem à terrestri labe quæ inquinat cœli particulam animam ad eò fieri oportuit, ut ea quæ per Christum redempta est anima post luctam carnis victrix ac libera requiescat in sinu DOMINI, & corpus per corruptionem maculas terris abscondat & incorruptum feliciter resurgat. Sic seritur fœdum, ut suscitetur cum gloria: seritur omnium virium expers, ut suscitetur potens: seritur corpus animale ut suscitetur corpus spirituale *1. Corinb. c. 15. vers. 24.* Sanè elegantissima verba sunt Epiphaniï quando inquit: *Velut si quis summus opifex statua pulchram ex auro aut aliâ materiâ à se construat, & per omnia membra congruenter ad pulcritudinem exornatam, rursus constet, mutilatam deinde conspicatur à pessimo quodam homine, qui præ invidia non tulit decoram esse statuam, eamq; læsit, inanem voluptatis fructum capiens. Attende ô sapientissime Aglaophon! Quod si voluerit opifex ille non esse mutilam & vituperabilem eam, quæ cum tanto studio ac cura ab ipso elaborata est, rursus impelletur ut constet ipsam, ac talem faciat, qualis priùs erat. Si verò non constarit, neq; coegerit*

cöegerit, verüm manere siverit, curans ipsam ac corrigens, necessum
ignitam ac contrectatam statuam non amplius posse conservari ean-
dem sed immutatam fieri ac distractam. Quapropter si voluerit
opus ipsum pulcrum esse ac irreprehensibile, confringi ac rursus con-
flari oportet, quò turpitudines & alterationes omnes, qua ex
insidiis ac invidia in ipsa sunt, per reparationem ac conflationem
pereant; ipsa verò statua in speciem suam integra & inadultera-
ta simillima sibi ipsi fabricetur. Statua enim perire non con-
tingit per artificem ipsius, etiamsi rursus in materiam resolvatur:
resitui enim potest. Turpitudines autem & mutilationes perire
contingit: colligescunt enim. Resitui autem non possunt eo quod
in omni arte optimus opifex non ad turpia & offensas, sed ad sym-
metriam rectitudinemq; ac congruentiam operis respiciat. Idem
sanè videtur mihi etiam in nobis Deus disposuisse. Hominem enim
decentissimum suum opificium insidiis & invidia ma'è afflictum con-
spicatus, non sustinuit relinquere tale, quum benignus erga ho-
mines sit: ut ne in aeternum esset vituperatum, immortale in se
habens, vituperium. Sed dissolvit rursus in materiam, quò per ro-
formationem colligescant ac dissipentur omnia in ipso vituperabilia.
Nam illic conflari statuam, est hic mori ac dissolvi corpus: illic ve-
rò reformari materiam ac suo nitore resitui, est hic, post mortem re-
surgere. Anxia fuit spes quã nitebantur olim philosophi, qui in
criminum pravitatem impunitam ac virtutum præmiapost
ærumnarum tanta exempla prorsus nulla esse, solo quãvis in-
structi essent lumine naturæ, non putarunt. At licet animæ im-
mortalitatem demum crediderint: in. non latet quibus dubiis
implicata fuerint eorum dogmata, & corporis resurrectione,
dū corruptione illud evanuerit, nullã fermè sibi unqvã persua-
dere potuerit gentilitas. Hic verè quale non dixerim mun-
danæ vitæ desiderium, si corporis nunquam resurrecturi inte-
ritum juncta speculetur anima? O dura gentium prudentissi-
marum tempora, quibus umbræ animarum creditæ in incer-
tis rebus non nisi partis lucrum ipsis retributura! Beata; cer-
tè sunt hæc nostra tempora, quibus, dum modò nobis immi-
net finis hujus vitæ ærumnosæ periculossimæq; non ad incerta
philosophorum solatia aut ad illud quod per gloriosissiman
Dei

Dei omnipotentiam fieri possit respiciendum est, sed quid factum iri ipse qui VERITATIS nomine SANCTUS testatus est. Omnino hic ex religione Medici, mortuorum resurrectionem credere tanquam aliquid possibile non fidei est sed Philosophiæ, & philosophiæ variis rerum experimentis (dum admiratur artificialem illam toties mortificati in suamq; iterum emergentis formam Mercurii resurrectionem & alia) convincitur, ne neget posse fieri, sed demum facili negotio probet quod dicitur in his verbis: *Quod ergo in inferioribus istis ars humana potest, qua blasphemia est negare id ipsum in præstantioribus posse omnipotentis dextram? Bene Augustinus Tibi absit, ait, quod & resuscitanda corpora vitæq; reddenda non possit omnipotentia creatoris omnia re vocare, quæ vis bestia vel ignis absumsit, vel quod in pulverem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel quod in auras est exhalatum: absit ut sinus illud secretumq; natura ita recipiat aliquid subiectum sensibus nostris ut omnium creatoris aut cognitioni lateat aut refugiat potestatem.* Nec minus notandum est quod Hieronymus proponit in epist. 41. dum ita: *Cur quæso tam angustus & invalidus divinæ virtutis estimator es, ut dispersum uniuscujusq; carnis pulverem in suam rationem colligi & reparari posse non credas? Annon censes cum videas, quod etiam mortale ingenium demersas in profundum terræ metallorum venas rimetur, & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram putat? Hac cur quidem non concedimus, qui fecit hominem, quando tantum is, qui ab ipso factus est, assequi potest? & cum auri esse propriam venam & argenti aliam, æris quoq; longè disparem, ferriq; ac plumbi diversam intra speciem terræ latere, mortale deprehendat ingenium, divina virtus invenire posse ac discernere non putabitur uniuscujusq; carnis proprium sensum etiam si videatur dispersus? Verum enim verò non ad probabilitatem modò nostra vergunt argumenta; sed solatiorum ipsam infallibilem veritatem ac certitudinem indicant, ubi operibus præscripsit Deus antè (quod ait Tertullianus) quàm literis; viribus prædicavit antè, quàm vocibus: præmisit nobis naturam magistram sed submissurus & prophetiam. Quo igitur facilius credendum prophetiæ, cum discipuli naturam simus, & statim admittendum cum audierimus*

mus

inus quod ubiq; jam viderimus : eò certè majori cum fiducia
 benedictus omnis in nomine ejus qui benedixit tibi in solatio
 cogitat animæ ac corporis dissolutionem : *Scio quod redem-
 ptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum.*
Et rursum circumdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum,
quem visurus sum ego ipse & non alius. Job. 19. v. 19. 26. Tri-
 stis mortis cogitatio est; sed iis tantum est, quibus pietatis
 fiducia per meritum Salvatoris nostri gloriosissimi non inno-
 tuit. Quænam enim talis tristitia est, cum in eo, dum videmus
 corruptionem, tunc potissimum de resurrectione quimus phi-
 losophari, quia mors non simpliciter corpus sed corruptio-
 nē corporis absumit, quod luculenter innuit *Chrysostomus ho-
 mil. d. resurrect.* Egregiè ac piè Albinus in expositione Cantici
 graduum : *Christus non est exaltatus nisi post mortem: quia illius
 resurrectio non fuit nisi antea moreretur, nec nostra erit resurre-
 ctio nisi antea moriamur.* O gaudeamus quod de manu infer-
 ni redempti simus! Christus enim factus est mors tua o mors :
 factus est morsus seu exitium tuum o inferne! Quis dolendo
 igitur ob mortē contristabitur? quis corporis non conjuncti-
 onem potiùs cum animâ futuram contemplabitur quàm ho-
 diernam separationem, ubi aliquando (ut verbis Bernhardi u-
 tar) sedebit cum Christo corpus immortalitatis & impassibilita-
 tis gemina quædam felicitate dotatum, liberum ab omni ne-
 cessitate, ab omni corruptione securum, alienum & immune
 ab omni concupiscentia, plenum gloria, configuratum de-
 niq; claritati corporis Christi : sedebit & anima sicut nil me-
 tuens, sic nec cupiens ultra, nimirum plena beatitudine &
 secura beatitudine fruens, nullos jam cogitationum fluctus,
 nullos tentationum conflictus, nullos affectionum sentiens
 motus, sed æternæ illi incommutabilitati prorsus immersa,
 & sic adhærens Deo, ut unus sit spiritus jam facta cum eo. Ve-
 rum tamen dura sæpe corda hominum sunt, quæ non capiunt
 præcepta divinitus tradita; indeq; solationum expertia quid
 poterunt sibi tristius fingere quàm horrorem mortis truculen-
 tissimæ? Aliter sensit Matrona inculpabili sancta & casta con-
 scientia, prout officium postulavit & doctafuerat, Deo com-
 menda


mendatissima WENDULA ROMBERGIA. Hæc non carnis deliciis agitata, primis in annis matre sua lectissima orbata & vidua sine domus suæ præsidio relicta non malis fracta fuit, nec impatiens fastidivit hancce terram cui donata erat precum ardore civis probatissima; nec nimium dilexit mundum quem inhabitare filias & nepotes tam feliciter perspexerat. Speculata fuit vitam quæ futura, unde sacris meditationibus intentata & sancta quoque; eucharistiâ tanquam viatico semper saluberrimo studiosissime & in ultimo etiam mortis appropinquantis tempore instructa manus suas ad Deum omnipotentem extendit implorans ut fas est (secundum clement. ad Corinth. b. epist. p. 3.) suppliciter ipsius clementiam pro delictis etiam contra voluntatem commissis. Tali prorsus exemplo resurrectionis gloriosæ fiducia quaeritur, quæ in fide ac probitate vitæ stabilitur: Unde talis non intermorituram matronæ memoriam eò rectius commemorare nobis studendum, cum ap. Romanos gentiles etiam matronas studiosè laudatas esse meminimus. Nata est beata Matrona laudibus virtutum condecoratissima WENDULA Kleinschmidts / A. D. MDCXXIX d. IV. April. circa horam IV. ab honestissimis clarissimisque parentibus. Pater ipsius fuit Vir Prænobilis ac Consultissimus Dn. JOACHIMUS Kleinschmidt / Consul reipubl. Rostochiensis, cujus summa in reipubl. merita nomen ipsi reddiderunt ap. omnes celebratissimum. Mater WENDULA Korffs virtutibus ac imprimis pietate laudatissima inter omnes existit in pulchrum bonitatis exemplum commemoranda matrona: Avus paternus fuit Dn. PETRUS Kleinschmidt / civis hujus Civitatis primarius ac spectatissimus: Avia femina virtutum laudibus ornatissima ANNA Keimers / quæ posteris præluxit decoribus vitæ ac famæ splendidissima. Avus maternus existit Vir rerum agendarum prudentia clarissimus Nobilis ac Amplissimus Dn. M. JOHANNES Korff / Consul inclytæ hujus Urbis egregiè laudatissimeque; meritis. quocum Avia fuit ANNA Krauels / matrona venerabili morum & probitatis nomine commendatissima. Proavus paternus erat JOHANNES Kleinschmidt / Vir integerrimus & in civitate provinciali Neuen Rahl


len

Ien tranquillitate vitæ cum honesta famæ claritate felicissimus. Proavia paterna *Gescke Lesing* / Matrona honestissima. Proavum maternū habuit Dn. JOHANNEM *Kranz* / Virum non sine laudum encomio commemorandum honestissimisq; meritis inter suos condecoratum; nec non Proaviam matrem ANNAM *Kohlers* / morum candore & decore omnibus laudatissimam. Ex his parentibus cum fuisset orta hæc beata nostra, pio zelo ac Christianâ sollicitudine parata ipsi fuit persanctissimum baptismatis sacramentum prima illa resurrectione quam per summa Salvatoris nostri merita sequetur aliquando latissima secunda, ubi conjunctim cum anima in corporis domicilio his ipsis quibus gavisa oculis Redemptorem aspectura est beatissima. Hinc postquam dilectissima lavacro regenerationis renata ac renovata à carnis labe fuerat parentum loholes, hæc magna cura fuit ut in novitate vitæ ambularet; indeq; optimis virtutum præceptis & exemplis instructa est virgo castissima. Sic magnis postea Virginis virtutibus allectus Vir Spectatissimus, literatissimus & Integerrimus Dn. TOBIAS *Komburg* / Secretarius *Ærarii* oppidani fidelissimus, ambiit cum illa nuptias, quibus consensit pater optimus: Matera, dudum erepta erat. Feliciter igitur divina intercedente per sacerdotem benedictione ritèq; consummato matrimonio (quod factum A. MDCL. d. XXX. julii) quâ fide conjugali, quo amore invicem amplexi sint, in exemplum fuit cognita omnibus felicitas. Nec fuit sine fœcunditate commendatissimum tale Deo connubium, ex quo suscepit quinq; filias formosissimas, quarum tertia & quinta in tenerrima ætate ex hac mundana vita ad cœlestem modò translatae sunt. Ex ceteris elegantissima omniq; virtutum apparatu ornatissima filia WENDULA nuptiis juncta Viro Prænob. ac Spectatissimo Dn. NICOLAO SCHNITTLERO Præfecto ad D. GEORG. apud Hamburgenses meritisimo Amico nostro honoratissimo, quocum felicissimo tali in conjugio fœcunda, decem nepotibus dulcissimum Avia adauxit nomen & matris voluptatem promovit luculentissimam. Quanquam ex his quinq; terris erepti cœlesti nunc

nunc cum avia fruuntur tranquillitate & quiete beatissima; reliqui adhuc per Dei gratiam superstites sunt, ex iisq; ut Dei gloria magnificanda sit ac vita cum incremento salutis Christianæ transigenda, maximopere precata est avia piissima. hi suavissimis nominibus ipsi sæpius memorandi fuerunt, JOHANNES, ANNA DOROTHEA, NICOLAUS, FRANCISCUS, WENDULA ELISABETHA, & LAURENTIUS. Altera filia florentissima EUPHROSYNA nuptiarum solennibus justis copulata Viro Spectatissimo doctissimoq; Dn. JOHANNI Krügeri Practico ac Præfecto templi Parochialis quod Gustrovii est fidelissimo, unde s. liberorum avia tanto nomine aucta fuit, licet sola hic in vivis fuerit relicta WENDULA, ceteris ad beatos, qui sunt extra has mundanas molestias, beatissimè translatis. Tertia filia DOROTHEA ipsa adhuc parante beata nostra felices cum Dn. ERPOLDO Schumacher / thalamum ingressa conjux fortunatus hisce gaudet nuptiis. Hæc vita, hæc fortunæ hæctenus fuerunt Matronæ hujus nostræ, quæ suis in liberis conspicata divini benedictionem Numinis, precibus piis salutem auxit ac cælum intercuncta hæc quæsiit votis ardentissimis. Cum autè hodiè post beatissimum placidissimumq; obitū parentur corpori ex animi exequiæ; si pietatis æstimentur merita, si virtutis magnifiant exempla, si humanitatis officium credatur esse corpus honore prosequi ex quo tanquam parte homo est quodq; fuit templū Dei & Sancti Spiritus domicilium, eâ certè fiducia fretus sum, fore, ut quæ literæ ad Vos, cives æstimatissimi, de exequiis frequenter eundis directæ sunt, benigniori abs vobis studio tali in deductione honorifica sint cohonestandæ, PP. Calend. April. An. MDC XC. Sub Sigillo RECTORATUS.

Conventus fiet in Æde Jacob.





GUSTAV KOCH
Buchbinderei
ROSTOCK.

len tranquillitate vitæ cum honesta famæ claritate
Proavia paterna *Gescke Estens* / Matrona honorabilis
avum maternū habuit Dn. JOHANNEM *Stral*
sine laudum encomio commemorandum merito
meritis inter suos condecoratum; nec non I
ternam ANNAM *Kohlers* / morum candore &
bus laudatissimam. Ex his parentibus cum fili
beata nostra, pio zelo ac Christianâ sollicitudine
per sanctissimum baptismatis sacramentum pri
rectio quam per summa Salvatoris nostri meriti
quando latissima secunda, ubi conjunctim
corporis domicilio his ipsis quibus gavisâ ocu
rem aspectura est beatissima. Hinc postquam
lavacro regenerationis renata ac renovata ac
erat parentum soboles, hæc magna cura fuit
vitæ ambularet; indeq; optimis virtutum præc
plis instructa est virgo castissima. Sic magnis
nis virtutibus allectus Vir Spectatissimus, litera
tegerimus Dn. TOBIAS *Komberg*, Secretarius,
ni fidelissimus, ambiit cum illa nuptias, quibus
ter optimus: Matera, dudum erepta erat. F
divina intercedente per sacerdotem benedictio
summato matrimonio (quod factum A. MD
julii) quâ fide conjugali, quo amore invicem
in exemplum fuit cognita omnibus felicitas.
fecunditate commendatissimum tale Deo cu
quo suscepit quinq; filias formosissimas, quarum
ta in tenerrima ætate ex hac mundana vita
modò translatae sunt. Ex ceteris elegantissim
tutum apparatu ornatissima filia WENDULA
Viro Prænob, ac Spectatissimo Dn. NICOLAO
LERO Præfecto ad D. GEORG. apud Hambu
tissimo Amico nostro honoratissimo, quocir
tali in conjugio fecunda, decem nepotibus dulc
adauxit nomen & matris voluptatem proni
tissimam. Quanquam ex his quinq; terris

